BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
2009
kat.komp.
Mag. St. Dr.
I

V
B J
C
2009 I
Mag. St. Dr.

poezye

2009 I

1 2

Smieszkowicz Laurent.

Xenium votorum

Cracoviae 1634.

Il sottoscritto si obbliga all' acquist
riam pertinentia pubblicati a cura della
a pagare nell' atto della consegna di cias

NOME del SOSCRITTORE	LU

20091 I

XENIVM
VOTIVVM.

REX bellicosis orte REGIBVS *Atauis,*
Queîs LECHIA *tanta, debet omne quicquid*
O dulce iubar, ô columen, ac celsissimum (*est;*
Felicitatis LECHICAE *fastigium.*
Nos hîc dies agitamus hilares, & metu
Quoquo soluti, fruimur vnicè satis
Quicquid animæ nostræ lubet, sub aheneo
Muro Tuæ virtutis inuictissimæ:
Bene capiti, bene lateri, & ventri bene.
Absunt furores cœli & aspræ iniuriæ,
Quas delicata submouent domicilia;
Aërq; doctus obsequi placido vsui,
Oblitus ampliùs hîc suæ inclementiæ.
Nos lectulus habet mollis & plumæ satur,
Somnusq; certat noctibus longissimis.

Nos ingenia cænarum, & indulgentior
Sibi genius, quæsitaq; arte fercula,
Immista vinis Cæcubo potioribus,
Fastidiosâ copiâ pinguè obruunt;
Patiq; inhabilem cuticulam nitidam educant.
Animusq; reddens mutuas corpori operas,
Blandissimè ociosus ac incogitans,
Procul pauore, pericla nulla somnians,
Securitatis aream perambulat.
Tu DOMINE *mi, ô mi REX; ad Arcton vltimam*
Glaciale cœlum & inhospitalem plagam adiens,
Septemtrionum inter pruinas horridas,
Quid non, quid ô non igneo robore animi
Mauortiorum deuoras discriminum?
Castrensis in aperto focus glaciem videns,
Cibus paratu militari arte vacuus,
Lectus tibi quandoq; pellis strata humi,
Quandoq; currus itinerariaue esseda,
Somnus vigilijs propior excubantibus,
Vestis sagulum hyemale, Regibus insolens;

Dormire

Dormire noctu veste non positâ tuum est,
Odisse delicias, praireq; inclyto
Exemplo ad egregia decora belli, tuum;
Ferro riges armisq; non auro nites.;
Vtq; tua LECHIA *mella stillet ocij,*
Tu amaritudinem exedis negocij.
Iam quando pectus Regiosq; spiritus
Impauidus offers vltimis periculis,
Cùm ipse ordinas aciem & in hostem dirigis,
Dum sulphuratis ignibus reboantia
Tormenta bellica igneas moles vomunt,
Ac (prô dolor noster) tuum augustum caput
Diro intonatæ ab hostico circumuolant;
Quantus pererrat horror intima viscera
Nostra, LECHIAE *quanta hinc tuæ exanimatio?*
Dilecte Diuis, LECHIAE *verò tuæ*
Humana superans vota delicium & amor,
O magne REX *: hoc obsecramus anxij*
Per & (tametsi te ambit eminentior
Cælestium custodia) supremam omnium

 Domi-

Dominam Trionum, spem orbis vndiq; maximam,
Vitam tuam, tot milliumq; millibus
Pretiosiorem tuam animam, infandum in modum
Pro te pauentes, precibus ac ploratibus
Supplicibus obtestamur: Abstine eiusmodi
Vehentis incomprensa damna gloriæ,
Ne casibus te nil timens mori inferas,
Neu te audiamus Regiæ prodigum animæ;
LVCERNA *at* ISRAEL *Philistæis procul,*
Procul periclis luceat lucem suam.
Quid enim, quid ô REX magne, quid desideres
Successuum ac rerum beatarum amplius,
Quas cornu ab vbere copiæ plenißimæ
Superûm redundans tibi pluit fauentia?
En crudiorem Tigribus in Moschouiam
Vix intulisti fulgur aspectus tui,
Diamq; amici Numinis præsentiam;
Perire debita, stetit arx Smolenscia
Inuicta, vim orbis aduocatam despuens,
Ridensq; tormentis coacta pondera

In sese

In ſeſe, & arietata ſaxa ingentia
Fruſtra, omnem & oppugnationem euanidam.
Ac inter iſtam, tot animarum examina
Laſſaſſe ſtupefactum Charontem, dum excipit
Furuas tot animas, corda viſceraq́; hominum
Laniatu inhumano ac abominabili
Concerpta olentes, Eumenidibus magè truces.
Iam valli & aggeres obeſis quercubus
Animati, inexpugnabilem in molem editi,
Manu Magiſtrâ quæ ſapit Moſcho altiùs,
Foſſæq́; pollicitæ ſibi perennem diem,
Validaq́; ſepimenta montium æmula,
Quæ Moſchus æterna fore propugnacula
Secum exputârat, & vnde latebris abditus
Damna ſerere, integer ipſe, ſomniauerat:
Hæc tanta tanti temporis molimina,
Oſtentaq́; immanium operarum credita,
Vt ſunt breui diſiecta, proruta, & data
Ludibrio ventis? Miſerq́; Moſchulus
Inops & animi & conſilî quò deſiit?

Clam, nocte media, castra vallata & in ijs
Tormenta, & arma, & commeatus vberes
Victoribus linquens, dedit sese in fugam.
I fœdifrage, periuriose, perfide,
Gentes rebelles, Turcicamq; luem aduoca,
Vince feritate feras & Hircanas Tigres,
Intende vires, coge nisus vltimos;
Delicta tua tamen lues, & vltio
Vindictaq; sequax te mei REGIS premet.
Ibis & in imas Moscuæ latebras fugax,
Eliminatus inde, nidulaberis
Alio loco & alio. Tuis de montibus
Bene vapulabis, prouidis velut arcibus.
Tyrannus ipse, & omnis ordo equestrium,
Popæ sacrorum capita delirantium,
Senum cateruæ & curialium agmina,
Densusq; vbiq; populus vlulabit; gemens
In terga sua, districta spectatissima
Flagella perfidi Sacramenti, minasq;
Indeprecabiles Supremi Numini.

Nec

Nec desituras, quin malis alijs mala
Alia superuentura, donec impijs
Armis retractatis, sceleribus obuia
Innexaq; dolis consilia mala deserant;
Iurisq; iurandi fidem sanctè datam,
Nec aliter expiabilem, redintegrent;
Regumq; quos Sol aspicit Regem optimum,
Magnum VLADISLAVM, *recognoscant suũ*
Dominumquè Patremquè, positis ritè genibus
Feriendo terram frontibus pronissimis;
Iurata semel & vincula, irrupta maneant.
Has maximus, Nili æmulus, BORYSTHENES
Felicitatis adoreas quando stupet;
Parte orbis aliâ nitidus ac præceps TYRAS
REGI *meo absenti nouat victorias.*
En ille Regum ac Principum sicarius,
Insessor ille gentium Lunaticus,
Post pacta diro iureiurando rata,
Molitur arma in marginem Poloniæ,
Occasione dißiti Regis procul,

 Moschis

Moschis tremendo bello & exitiabili,
Qui est docilis ingentem Gigantem Otthomanicũ,
Vsquam irrepertis cladibus compescere.
Ergo velut olim Cacus improbus & furax
Boues abegit Herculi intento in alia;
Sed mox repensum huic, gutture eliso, nefas.
Aut sicut in oues dentem acrem lupus acuit,
Si fortè pastor bonus abest à grege suo,
Rictumque reparans, iam ruit oues perdere;
Nî vis relicta foret canum fidelium,
Qui hostem ouium odoro conciti præsagio
Adesse latratu sonoro clamitant,
Contraqúe nil timidi volant, ac dentibus
Hinc inde prensum ad vsq; viuum examinant,
Quid opera haberet hîc lupus: donec miser
Anima residuum vix trahens, inopino eo
Elapsus è gymnasio, claudus pede
Cuteqúe lacer, anhelosus, vnde venerat
In sua latibula tripes fugam sat agilem obit.
Quid enim? simillimumnè lusit exitum

Plena

Plena truculentis verba donans toxicis
Vespillo Regum, prædo & auceps gentium
Vaferrimus? Quem amica tibi tua sidera
Regum VLADISLAE *optime, tuaqúe faustitas,*
Decretaqúe adamantina cœlo condita,
Fatale & astrum, tibi triumphandum vouet.
TE TE *modò ille, Sceptra qui Regum regit*
Supremus oculus, orbis arbiter Deus,
Longâ beatum sanitate sospitet,
Nostrisqúe de annis accumulet annos tuos:
Vt quando sanctè rebus humanis præes,
Ægrisqúe gentibus salutem prouides,
Tuamqúe LECHIAM *ex ærea facis auream,*
Reddisqúè vitam litteris morientibus:
NOSTRIS *sit ideo sera quoque nepotibus*
Lux illa, quæ te olim senem cœlo asserat;
Et ordiaris ab hoc recenti, annos nouos
Nouis triumphis ac nouis victricibus
Signare domitarum trophæis gentium;
Vt nunc reductâ in ordinem MOSCHOVIÂ,

Cucullus alieni maris metuat sibi;
Exinde tranquillata surgat PRVSSIA,
Tum deprecata iniuriam redeat suo
Victorioso heredi iniqua SVECIA.
Ita vindicatis perduellium ausibus,
Viciniaqúe eliminatis motibus;
Superbus Oriens in tuum sese paret,
Fato VLADISLAI triumphum debitum.
Vt post tot ærumnas nefasti seculi,
Desideratæ pacis aureum iubar,
Terras tuarum animare pergat gentium;
Simulqúe neglecta redeat virtus, Honor,
Decus, fidesqúe antiqua phalerarum inscia:
Tandem ex miseria recreatis gentibus,
Concludat agmen, omnium opulens copia.
Sed cùm beatam prospicis pacem omnibus
Supremum asylum litterarum, ô Magne REX,
Largire pacem litteris Academicis;
Siqúe cupis istas viuere æuum serius,
Sociare noli ACADEMIAM *aduersariæ,*

Concor-

Concordiam irritam ratæ discordiæ,
Scholæ neq; Scholam oppone, studiumque studio.
Ista duo secum stare non possunt diu,
Breuique cedat alterum alteri, erit opus,
Quocunq; quisquis glutinârit hæc modo.
Exempla clamant, clamat hoc vicinia,
Palam orbe toto constat ista veritas.
Aduersa qui iungit, obitum rebus parat,
Litemque stabilit qui ista componere studet.
Deus ille magnus machinam orbis erigens
Secreuit ignem procul aquâ, ideo firma stant
Elementa; contrà, iunctim vbi isthæc ambulant
(Vt in elementorum caducis partubus)
Mors in foribus est, citaque dissolutio.
Aiet quis? Optandam inter hæc concordiam?
Crustata amicitia parum est durabilis,
Nec inter illos conueniet vnquam bene,
Quorum alter alterius vigorem diripit;
Sint verba mellea licet, intus fel subest.
Lis atq; amicitia, instabilia & fluxa sunt

Princi-

Principia rerum, prona ab his mutatio.
Nec vlla grauior, quàm abdita, maleuolentia.
Professa odia sunt tutiora latentibus,
Possunt enim illa praecaueri, haec non item;
Subest periclo, blandulum qui inimicum habet,
Nam fistula canit dulce, rete vbi tenditur.
Quid quòd ita funerantur almae litterae?
Pax, litterarum vita; lis, est certa mors;
Tranquillitatis filia est Sapientia.
Quid quòd timendus hinc nocentior exitus?
Aspice quàm acerbis florida aetas praelijs,
Insuescat vngui à tenero alia premere aliam;
Contraquè sese animata crudis motibus,
Ciuile bellum facere discat è scholis!
Neq; speciem aemulationis oggerant?
Commissa Roma cum impigra Carthagine,
Cos primò, eidem postmodum mors extitit.
Hunc properat ad finem eiusmodi aemulatio;
Ergo age, POLONIAE *tuaquè* ACADEMIAE
Demisse caelo rebus afflictis Atlas,

O Ma-

8

O Magne VLADISLAE, IAGELLONIÆ
Stirpisqúe gloriæqúe ſumma gloria;
Eripe probroſis litibus ACADEMIAM,
Motu perenni principem Vrbem libera;
Tuisqúe grandibus trophæis, lineam
Appone nitidam, ſubleuatæ ACADEMIÆ:
Vt ſicut alma LECHIA *per te floridum*
Vitæ colorem, in omnibus membris refert;
Sic ſic, IAGELLONIA tuaqúe ACADEMIA,
Te REGE, vitam iterum animamq; recipiat.

IESV CHRISTO Gloria & Gratia.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typogr.
Anno Domini, M. DC. XXXIV.

O Magne VLADISLAE, IAGELLONIAE
Stirpisque gloriaeque summa gloria;
Eripe protervis hostibus ACADEMIAM,
Morte peremptam principem Vrbem libera;
Tuisque grandibus trophaeis, lineam
Appone viridam, sublevata ACADEMIAE:
Vt sicut alma LECHIA per te floridam
Vitae colorem, in omnibus membris refert;
Sic sic, IAGELLONIA tuaque ACADEMIA,
Te REGE, vitam novam animamq; recipiat.

IESV CHRISTO Gloria & Gratia.

CRACOVIAE,

In Officina Andreae Petricouij, S.R.M. Typogr.
Anno Domini, M.DC.XXXIV.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0010307

Oddział Konserwacji
Zbiorów BJ
2001 r.